**Oratio ex Harveii instituto in aedibus Collegii Regalis Medicorum habita die Junii XXIV; 1848 / a Francisco Hawkins.**

**Contributors**

Hawkins, Francis, 1794-1877.
Harveii Instituto.
Royal College of Physicians of London.

**Publication/Creation**

Londoni : Prostat apud Johannem Churchill, 1848.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/jajrdrrd

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

27988/C B.XXIV
Hau
Hawthorne
2/-

This Oration contains an elegant eulogium upon the late Dr. Lamb, many year a resident in Warwick.

Payne 12/7/11.

# ORATIO

# ANNIVERSARIA

# HARVEIANA.

---

MDCCCXLVIII.

Henry Blenkinsop Esq.
With the Author's Compl.

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b22005407

# ORATIO

# ANNIVERSARIA

# HARVEIANA.

# ORATIO

EX

# HARVEII INSTITUTO

IN ÆDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

HABITA

DIE JUNII XXIV; MDCCCXLVIII.

---

A FRANCISCO HAWKINS, M.D.

COLL. REG. MED. LOND. SOCIO ET REGESTARIO.

OLIM COLL. DI. JO. BAPT. OXON. SOCIO.

LONDINI:

PROSTAT APUD JOHANNEM CHURCHILL.

MDCCCXLVIII.

28109

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS

PRÆSIDI, SOCIISQUE

HANC ORATIUNCULAM

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D.

FRANCISCUS HAWKINS.

*Extract from the Deed of Gift, to the College of Physicians, of his Patrimonial Farm, consisting of Fifty Acres of Land, called News, in Burmash, in Kent; by* Dr. William Harvey.

. . . . . " To maintain friendship, there shall be at every meeting, once a month, a small collation, as the President shall think fit, for the entertainment of such as come; and, once in every year, a general feast, for all the Fellows; and, on the day of such feast, shall be an oration, in Latin, by some member, to be appointed by the President, two eldest Censors, and two eldest Elects, so as not to be appointed two years together, in commemoration of the Benefactors by name, and what in particular they have done for the benefit of the College, with an exhortation to others to imitate, and an exhortation to the members to study and search out the secrets of Nature by way of experiment, and for the honour of the profession to continue mutually in love."

# ORATIO HARVEIANA.

Clarissime Præses!

Socii Lectissimi atque Ornatissimi!

Auditores Humanissimi atque Maxime Illustres!

QUEM, mente et cogitatione, ac non sine horrore quodam, multo ante prospexi diem, quo die, ad Oratoris partes agendas, coram vobis, mihi prodeundum sit, is nunc illuxit; et vereor ut instructiorem me paratioremque, ad hoc munus rite obeundum, invenerit, quam tum fuissem, cum primum id in oculis animoque versaretur. Ita, fluminis ritu, præcipitare celeri cursu properantis, vita hominum transit! O! fortunatum illum, si unus fuerit aut alter, cui, cum ad exitum ventum sit, bene præparato supremum illud tempus supervenerit!

Quod si summus ille in Latinis Orator, de seipso, causam acturo, confessus sit, cum illius temporis sibi venerit in mentem, quo die, citato reo, sibi dicendum esset, non solum commotum esse animo, sed etiam toto corpore perhorruisse: ego, qui possim, conspectu consessuque vestro, non commoveri?

Mihi etenim cum venit in mentem, quid negotii sit orationem

hanc suscipere; honorem, scilicet, hujusce Collegii, atque Artis Medicæ dignitatem tueri; et magnos illos viros, qui de nobis, de genere humano, optime meruerunt, justis et debitis laudibus efferre; illorum, cum illos respecto, reverentia, vestrum, cum vos intueor, verecundia, mentem pœne obruunt, et abest non longe quin sentiam,

"effringi linguam, vocemque aboriri."

Quid causæ est, igitur, cur dicere aggrediar? Et quæ me res potissimum, ut hic adsim, impulit? Non meo impulsu, non voluntate adductus, in rostra ascendi; sed officio coactus; et propter amorem in hoc Collegium, qui me officium deserere vetat. Quapropter, hoc munus, quod minime appeterem, quod nunquam deposcerem, cum ex ordine et præscripto ad me devenerit, quo minus sustineam, et, pro virili parte, exsequar, non recuso.

Olim, cum consules Romani, ne quis extra ordinem pugnaret, edixissent, fertur T. Manlius Torquatus filium etiam suum, qui patris edicto minus paruisset, securi percussisse. Equidem, si extra ordinem hoc suggestum ascendere voluissem, Manliano propemodum imperio, quamvis horrendo, me dignum arbitrarer.

Unde potius incipiam quam ab instituto rationeque hujusce celebrationis? Voluit Harveius,[1] cui, viventi adhuc, cognomen additum est, Immortali, uti, ad amicitiam inter Collegas colendam, identidem in ædibus nostris mensa instrueretur modica. Semel autem, quotannis, aliquanto lautius et magis opipare convivium appararetur. Quo redeunte festo, unus e Collegis constitueretur, cujus esset officium, in oratione Latine habenda, bene de nobis meritos nominatim proferre, et illorum merita, præsertim in Collegium, prædicare: neque

[1] Gulielmus Harvey, M.D., natus A.D. 1578, obiit A.D. 1657.

illos, tanquam imagines, ad intuendum solum, proponere, verum etiam ad imitandum: hortarique Collegas ut revera exprimerent et imitarentur illos: hortari etiam ut Naturæ arcana investigarent et perscrutarentur, atque, per experimenta, deprehenderent: tum, quod Medicis omnibus laudi esset et honori, ut caritate perpetuâ et amore mutuo inter se continerentur.

Attendite, quæso, et cum animis vestris reputate, quisnam et qualis fuerit, qui nos ad amorem mutuum cohortandos curaverit? Is erat, qui, cum summum beneficium in omnes contulisset, tamen, a nonnullis, non sine contumelia atque convitio, oppugnaretur. Is, qui sanguinis motum circuitumque primus invenerat, ipse *Circulator* audiit. Et eum, nimirum, quem primo derisui habuerant, postea insimulaverunt furti. At ille, qui "nullius lacessivit famam,"[1] ne suam quidem acriter defendit. Obtrectatorum, partim risit et neglexit, partim redarguit, at quam benigne! neque istos refellendi causa, sed quo pulcherrima sua reperta enucleatius explicaret. "Convitia vero aut præterivit, aut laudibus rependit."[2] Testor Riolanum, "hominem," ut ait Laurentius,[3] "in disputando arrogantem et pertinacem," quem, cum, "erroris atque inscitiæ convicisset, quasi unguentis delibutum atque floribus redimitum dimisit."

Pudet me, nonnunquam, cum discordes Medicorum sententiæ, ut fit, exprobrantur; cum Medici fere omnes, præsertim Angli, ut paulo inter se pugnaciores, subridentur. Pudet hæc opprobria dici nobis. Neque satis est referre, quod inter Causidicos non semper bene conveniat; quod inter Theologos flagret aliquando odium, quod dicitur, Theologicum. Hæc omnia missa facio. Unum illud dico: hujusmodi opprobria tum demum satis commode refellentur, cum, mitis-

[1] Vide Inscript. in Tabula honoraria olim juxta Harveii statuam posita.
[2] Vide Gul. Harveii Vit. operibus præpositam. [3] Ibid.

simus omnium, Harveius, qui, "virtutes aliorum imitandas, non invidendas ratus," nos ad majorum nostrum imitationem quotannis excitari vellet, ipse fiat exemplar vitæ morumque, quod respiciamus, quod intueamur, ad quod nos conformemus omnes.

Ergo, bene de Collegio meritos quotannis nominari et prædicari jussit Harveius. Qualem vero et quam benevolum se præbuit ipse? Cum, jam antea, muneribus et donis amplis ornaverat Collegium, patrimonio se tandem exuit, nobisque id, fœdere certo, in præsens et in perpetuum, addixit. Qui vivus igitur, quod paucis contigit, Immortalis salutatus est; tum, quod paucioribus, cum hæredibus ipse suis, opes suas jam consecutis, convixit, hilarus et acceptus conviva; tum, quod præterea nemini contigisse dicitur, omnia quæ primus invenerat et palam ediderat, "de motu cordis et sanguinis," ea demum ab omnibus, vel doctis vel indoctis, se ipso vivente, accepta vidit.

O! beate senex! beatum te vocare, etiam ante obitum, licuisset certe, qui, tanta cum gloria felicitateque, tibimet ipsi quasi superstes, ævum sempiternum quodammodo præripuisti!

Hæc de Harveio disserenda putavi, quia, tametsi ejus fama, ut philosophi, ut Naturæ interpretis veridici, sæpissime ex hoc loco celebrata sit, atque ita ad omnem memoriam commendata, ut quasi statua ei collocaretur, quam suspiceremus omnes, inter Verulamium et Newtonum, æternâ in basi positam, tamen virtutum et morum et vitæ ejus imago non, ut debebat, mihi visa est depingi.

Quod ad Physicam scientiam attinet, cum præceptis aureis, tum præclarissimo exemplo suo, nos, quicunque in rebus medicis versamur, hortatus est Harveius, ut, vanis opinionum commentis ablegatis, nullius in verba magistri jurantes, Naturam interrogemus ipsam, et per experimenta interpretemur. Inierat igitur et præceperat illam ipsam viam, quam, brevi postea, monstravit omnibus et munivit Ve-

rulamius. Scilicet, "a sensu et particularibus ascendendo continenter et gradatim, ut ultimo loco perveniatur ad maxime generalia:"[1] vero experientiæ ordine, videlicet, qui "primo lumen accendit, deinde per lumen iter demonstrat."[2] Exinde feliciter fieri cæptum est, ut, auctore et duce Harveio, tandem aliquando resipuerint Medici, prius Galeni tam fautores inepte, ut si quis illius auctoritatem ausus fuerit, vel in minimis, imminuere, hunc animadversione, et pœnis, et, pro pudor! carcere, coercendum censuerint.

Proditur enim memoriæ, vel in nostris Annalibus,[3] (quod pudet nunc et piget memorare,) Doctorem quendam, qui, in rebus nescio quibus, Galenum errasse dicere soleret, coactum esse ea, quæ dixisset, proferre, et partes suas coram universo Collegio defendere, aut in carcerem deduci. Proditur etiam Galenum, in hac quasi lite, vicisse, victumque accusatorem causa cecidisse, seque dedisse, et coactum esse fateri se debita reverentia in Galenum non usum esse, et eum falso accusasse.

"Pro! tempora vere tenebricosa, et inauspicata litteris! cum a

[1] Nov. Org. L. i. Aph. 19. [2] Ibid. Aph. 82.

[3] Vide Annal. Coll. Med. A.D. 1560. Caio Præsidente.—"Imperatum est Johanni Geynes, medico, ut in quibus publice dicere solebat Galenum errasse, referente venerabili viro Thoma Wendeo Regio Medico, et ipso etiam Geyno coram universo Collegio palam affirmante, ea proferret. Quod tamen cum honestis rationibus facere recusaverit, coactus est per officiarium vice comitis Londinensis, jubente Præsidente, id præstare, aut in carcerem deduci. Cujus rei timore perculsus, ad Præsidentem supplex, non ut ante superbe et fastuose, venit, ac quæstiones (errores ille nominabat) viginti duas exhibuit &c.—Suas autem partes cum nequibat Geynes defendere, clareque deprehenderat suam non Galeni culpam esse, honestissime sese dedidit, et errorem agnovit: penitentia ductus se vana proposuisse, diligentius non circumspexisse, Galeni loca exquisitius non contulisse, ejus sensum non indagasse, sententiam non intellexisse, verba fidelius non citasse, calumniatori Brachelio plus æquo tribuisse, eum Galeno, summa sapientia viro, prætulisse, venerantia in Galenum non usum esse, et eum falso accusasse. Quæ omnia confirmavit subscriptione sua in hæc verba. 'Ego Johannes Geynes fateor Galenum, in iis quæ proposui contra eum, non errasse.'"

sententia magistri vel transversum unguem discedere, læsæ majestatis crimen, et dignum carcere haberetur; cum homines non modo servitutem servirent, sed catenas etiam amplecterentur."[1]

Hasce autem tenebras necesse est,

> " Non radii solis, neque lucida tela diei
> " Discutiant; sed Naturæ species ratioque."

Atque idcirco Harveius e tenebris tantis tam clarum lumen extollere primus potuit, quia Naturæ speciem rationemque tam plane retexit, tam manifesto patefecit.

At vero Harveius, qui Naturam, oculis quam maxime intentis, contemplari solebat, num veterum auctoritatem negligebat? Num litteras parvi pendebat? Immo, vetustatis exempla monumentaque diligenter recolebat; historicos, politicos, poetas adamabat. Immo, hanc ipsam orationem *Latine* haberi jussit. Et, sine controversia, fuit omnis vel scientiæ, vel doctrinæ, summe studiosus.

Ergo, de Harveii sententia, disciplinis bonis et studiis litterarum atque humanitatis institui debet Medicus. Quod, præter cæteros, decet hujusce Collegii alumnos, cujus fuit pater et auctor, LINACRUS.[2]

Una cum litteris, vel potius e litteris orta est hæc nostra Domus, arx et præsidium Medicinæ. Namque unus et idem Linacrus, Erasmi amicus, ab Italia redux, et Medicinam et litteras domum reportavit. Atque is, qui Græcas litteras, tunc temporis pœne ignotas, Oxonii docuit, idem postea Medicinam afflictam excitavit, et in hoc Collegium, tanquam in hospitium publicum, adduxit, ubi non commoraretur solum, sed perpetuo habitaret. Salve! sancte Parens! cui non modo Medici, sed omnes litterati assurgant!

[1] Orat. Harv. auctore Gul°. Baker, A.D. 1761.

[2] Thomas Linacre, M.D.; natus circiter A.D. 1460, obiit A.D. 1524.

Neque, avulso te, defecit alter, pœne gemellus, CAIUS,[1] qui Collegium, recens et tenerum, stabilivit, atque Insignibus honorificis ornavit. Ille Regestarii, Thesaurarii, Censoris, Præsidis, fidelissime et strenuissime, perfunctus est munere; et primus nobis Annales, sive de rebus a Collegio gestis commentarios Latine, distincte, eleganter conscripsit. Adeo Medicinæ Naturæque studio deditus est, ut, princeps in hisce regionibus, anatomiam excoluerit, incisionesque factitaverit. Litteras autem humaniores quam penitus dilexerit, testis Cantabrigia, testis est domus, quam præclarissimam ædificavit, adeo dignitatis plenam, ut, a quo nomen habet ductum, huic vicissim illa æterno sit honori.

Doctrinæ domicilia dilexit Caius, doctrinam magis. Itaque cum Academiis egit,[2] ne quis per eas admittatur Medicus, nisi plane doctus. Egit impense, modestius autem; ut cum parentibus; hoc est, quod

[1] Johannes Caius, M.D.; natus A.D. 1510, obiit A.D. 1573.

[2] Vide Annal. Coll. Med. A.D. 1555. Caio Præsidente. "Reprehensa est modestius Oxoniensis Academia per literas Collegii a Præsidente scriptas et communi Sigillo obsignatas quod Simonem Ludford Pharmacopolam et Davidem Laughton fabrum ærarium, indoctissimos homines, medicinæ Baccalaureatu insignivissent. Literæ autem in hæc verba scripta sunt, &c.

'Neque enim illud ignorare vos convenit, eisdem rationibus duraturam vestram Academiam, quibus est ab initio instituta. Instituta autem est literarum gratia. Per literas stat ea, eam literæ alunt et ornant, eam literæ conservabunt.'

'Jam vero cum accessit David Laughton faber ærarius, homo cui ne nota quidem sunt rudimenta grammaticalia, Baccalaureus tamen in Medicina per vos Novembri mense creatus, non possumus non admonere vos, &c.'

'Hortamur insuper, et per salutem Reip. rogamus diligenter ut attendatis, quos in posterum in Medicina admittatis. Nam infestissimus hostis humanæ vitæ est imperitus Medicus.'

Forte fortuna mense Julio, A°. 1556. Inquisitio indicta est a reverendiss. Cardinali Polo ad reformandam religionem et Universitatis Oxon. statum. Quod tempus tanquam opportunum nacti, ut inquisitores hunc errorem corrigant, sumus hortati per literas nostras in hunc sensum atque verba scriptas, &c.

'Egregios sane et doctrina et ingenio viros Reip. usibus cum per superiora tempora

Plato monet, "suasu, non violentia; obtestando, non contestando." Nihilominus, repugnante Oxonia, non ad alienos, sed ad Reverendissimum ejus Cancellarium se recepit, cujus auctoritate, consilio hujusce Collegii, excogitata sunt de hac re statuta, quibus uterentur Oxonienses, et quibus usi sunt prope in hunc usque diem.

O! utinam, semper vigeat nos inter, Collegæ, et antiquas nostras Academias, amor! Concordiam nostram nulla res disjungat magno equidem opere velim! Nec vos, Almæ Matres, offensiunculam aliquam habeatis, si, cum filiis et alumnis vestris, alienigenas nunc in nostrum numerum ascribamus. Namque ita fert temporum ratio. Ita, ut nunc est, et fieri solet, et debet, cum major indies et uberior litterarum scientiæque, ab omni parte, proveniat messis. Sed vos veneratione, vos desiderio, vos incredibili prosequimur amore. "Quis

parere solebat Oxon. Academia, ut idem in futurum faciat maxime in Medicina, vehementer cupimus. Id autem vestra prudentia fieri posse speramus, si authoritate vestra præcipiatis, ne per eam quis admittatur Medicus, nisi plane doctus ille sit, &c.'

'Istis rationibus si vestra prudentia in futurum prospectum fuerit, et eruditioni suus constabit honos, et non committet aliquando Academia ut indoctis et imperitis hominibus potestatem conferat exercendi Medicinam, quales dudum fuere Pharmacopola quidam Londinensis et David Lawton faber ærarius,—nulla certe doctrina audemus affirmare, atque ex his ærarius potissimum, cujus infantia cum suggessit ut, quomodo corpus declinaretur, exigeremus, respondit, hic hæc et hoc corpus, accusativo corporem: egregius certe ex Universitate Medicus, cui humana vita committeretur.'

Lectis hisce literis publice in Senatu frequentiss. Oxon. mandato inquisitorum, et eodem redarguto quod nulla doctrina homines cooptasset, interdixere inquisitores, ne postea tanta admittendi utatur libertate, &c.

Indoctus ille et ambitiosus Ludford, cum senserat omnem spem adipiscendi gradum doctoratus in Medicina (quem ambierat) Oxoniæ sibi præclusam esse, se recepit Cantabrigiam, tentatum an pari fraude Cantabrigienses etiam circumvenire potuerit. Quæ res, cum nobis relata fuerat, amor quo prosequebamur Academiam nostram, &c.—præmonere nos coegit Senatum universum imperiti hominis, et ne Doctorem crearent hortari, &c."

A.D. 1556. "Reverendiss. Cardinalis egit cum viris doctiss. Georgio Owen et Thoma Huys, regiis Medicis, de instituendis rationibus, quibus Oxon. Academia in admittendis Medicis uteretur. De ea enim re, ut anno superiori diximus, erat controversia. Quas

est," ut cum Tullio quæramus, "quis est nostrum liberaliter educatus, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi altus aut doctus est, cum grata recordatione, in mente verseter?"[1] Si quis Almam suam Matrem, propter quam ad studia natus sit, non amet, procul a nobis abeat velim! Si quis oderit, aut ultro læserit, pœne dicam, reus sit sceleris ejus, quod Græci neminem facturum putaverunt, Romani singulari et inaudito supplicio expiandum judicaverunt.

E Caii domo nobis exortus est, Medicinæ lumen, Harveius. En! tres nostros quasi Conditores! Primus fuit Linacrus, alter Caius, Harveius tertius. Quibus accedat etiam quartus, HAMÆUS,[2] qui,

cum excogitassent nobiscumque communicassent, consensum est in hanc sententiam. 'Statuimus et authoritate nostra injungimus ut ne quis ad praxin aut ad gradum aliquem medicinæ admittatur, nisi qui prius Magister seu Doctor sit artium et philosophiæ sine gratia aut dispensatione creatus, quique in philosophia Aristotelem et Platonem, in Medicina Hippocratem et Galenum aliosque subscriptos authores diligenter legerit, disputationes Medicas frequentaverit, seseque disputando exercuerit ad annos quatuor. Necnon quatuor, vel ad minus tres publicas disputationes Medicas frequentaverit, seseque disputando exercuerit ad annos quatuor; necnon quatuor vel ad minus tres publicas disputationes, præsentibus plerisque Academiæ Medicis, annis singulis celebraverit, idque absque dispensatione. Tum si idoneus videatur, et honestate morum commendetur, Bacchalaureus creetur, aut ad praxin admittatur. Quod si quis minus idoneus reperiatur, rejiciatur, omni seposito affectu. Inter gradum Bacchalaureatus et Doctoratus tres intercedant anni, quibus exactis diligenti studio, frequentatione disputationum, propriis disputationibus, et actione Medicinæ ut est ante comprehensum, quem honesti mores, studia, et recte facta, non hujus aut illius favor, universitati commendant, creetur Doctor secundum formam statutorum et consuetudinem Universitatis.' Hoc Statutum Reverendissimus approbavit, et authoritate suæ legationis et Cancellariatus (erat enim jam tum Oxon. Academiæ Cancellarius) Universitati ut observent injunxit."

16° Julii, 1595. "Conclusum est, ut literæ scribantur ad Academiam Lugdunensem in eam sententiam, ut cautiores sint posthoc ad nostrum postulatum in admittendis Doctoribus."

[1] Cic. pro Cn. Plancio.

[2] Balduinus Hamey, M.D., obiit 1676.

Vide Annal. Coll. Med., 13, Junii 1676.—"Sciant posteri quod Balwinus Hamæus, Baldwini filius, Musarum ac Apollinis, dum vixerat, deliciæ erat. Tam sciens Latinæ

si minus Conditor, at certe Restitutor erat. Nam Collegium, vel rerum augustiis, vel asperitatibus temporis, oppressum, cum civilibus armis, tum flammis, pœne deletum, Hamæus redemit, eripuitque e periculis, et bis nobis restituit.

Quin etiam, horum similes, extiterunt alii, cum Medicinæ, tum *Scientiæ Naturalis*, maxime studiosi.

Qualis GILBERTUS,[1] Elizabethæ Reginæ Medicus, qui Magneticas illas vires, quæ per totius orbis molem permanant primus monstravit atque, quod dixit Verulamius,[2] leviter irridens huic nostro viro, "Philosophiam e Magnete elicuit." Id quod verius multo, quam putavit Verulamius, dici potuit, ut cuivis nunc vires Magneticas, et Dia-magneticas perpendenti satis liquet. Gilberto igitur, et Medico, et Philosopho, perpetuus tribuatur honos.

Qualis CALDWALLUS,[3] Elizabethæ item Medicus, qui, Lectione Anatomica apud nos instituta,[4] Harveium ipsum imposuit in cathedram, ex qua doctrinam suam divinitus docuit.

Qualis GLISSONUS,[5] clarissimus Anatomicus, perinde ac Harveius e Caii domo exortus, cui magno etiam fuit honori, quod ipsius Harveii in locum successit.

Quales WILLISIUS[6] et LOWERUS,[7] quorum hic cordis fabricam; ille

linguæ, non ipsum Latium magis Latinum fuerat: tam Græcæ, non ipsæ Athenæ magis Atticæ. Moribus ac vivendi regula ad amussim compositus."—"Sub hasta Collegium iniquitate temporum positum, pater hic, non sibi sed Collegio magno impendio redemerat. Postulante necessitate in omnibus sumptibus faciendis publicæ utilitati cum primis munificum se ostendebat."

[1] Gulielmus Gilbert, M.D.; natus A.D. 1540, obiit A.D. 1603.

[2] De Augmentis, Lib. i.

[3] Richardus Caldwall, M.D.; natus circiter A.D. 1513, obiit A.D. 1585.

[4] A.D. 1581.

[5] Franciscus Glisson, M.D.; natus A.D. 1597, obiit A.D. 1677.

[6] Thomas Willis, M.D.; natus circiter A.D. 1621, obiit A.D. 1675.

[7] Richardus Lower, M.D.; natus circiter A.D. 1631, obiit A.D. 1691.

compagem cerebri, nervorumque fibras admirabiles, et vis nervosæ cursum recursumque acute explicuit.

Quales WHARTONUS,[1] in glandulis rimandis; et CROONIUS,[2] in demonstrandis musculis, qui operæ plurimum studiique utilissime consumebant.

Qualis item SLOANIUS,[3] qui et nostræ societati et Regiæ, diu et summa cum dignitate, præfuit: ita Naturæ cultor, ut id quasi templum, magnum et magnificum, ei dicaverit, in quo nunc omnis gens Britannica gloriari solet.

Qualis BAILLLÆUS,[4] qui cultro anatomico morborum sedes intimas retexit, quas, munere suo acceptissimo, collato in nos Musæo, nostris, etiam nunc, oculis, fidelibus et gratis, subjecit.

Quales, omnigena scientia ornatus, YOUNGIUS,[5] et WOLLASTONUS,[6] acumine plusquam philosophico, illi duo, quorum virtutes et ingenia, atque indolem utriusque propriam, tu, clarissime Præses, dilucide depinxisti: ipse item Philosophus, qui, scientia Chemica, tanquam Medicinæ ancilla, non domina, usus,[7] et quasi veteres avias de formulis et præscriptis nostris revellens, Pharmacologiam veram instituisti: cujus de suavissimis scriptis, mihi libitum esset plura dicere, nisi quod sciam, ex hoc loco, laudes aliorum, quam tuas, te libentius esse auditurum.

Neque vero, hoc loco, mihi silentio prætereundus est, quem nuper, gravem annis, amisimus, GULIELMUS LAMBE, quippe qui scientiæ Chemicæ cultor esset haud spernendus, idem litteris humanioribus

[1] Thomas Wharton, natus A.D. 1610.

[2] Gulielmus Croone, M.D.; obiit A.D. 1684.

[3] Hans Sloane, Baronettus, M.D.; natus A.D. 1660, obiit A.D. 1752.

[4] Matthæus Baillie, M.D.; natus A.D. 1761, obiit A.D. 1823.

[5] Thomas Young, M.D.; natus circiter A.D. 1774, obiit A.D. 1829.

[6] Hyde Wollaston, M.D.; natus A.D. 1766, obiit A.D. 1828.

[7] "Egregia illius ancilla, non alia pejor domina."—Boerhaav. apud Paris, Pharmacolog.

bene imbutus, atque medendi certe haud imperitus. Particulas plumbeas in aquis latitantes scite evocavit.[1] Simplex erat et apertus, et mores ejus modestissimi, vita integerrima. Quod si paulo inconsultius carnem nobis omnino interdicere vellet, ignoscendum est tamen.[2] Cuinam enim nocuit? Nemo, quod sciam, illi, de hac re, nisi ipse sibi, dicto fuit audiens. Vale! igitur, lenis anima! qualis neque candidior, neque innocentior altera, ad plures migravit: neque facile crederem te, in locis piorum lætis, beatisque sedibus, quenquam tibi iratum, veluti Ulyssi Ajacem, esse inventurum: namque irasci tibi vix potuerit aliquis, nisi vero si quis esset ita, plusquam tu ipse, Pythagoræus, ita cibum omnem *nitrogenatum* perosus, ut tibi succenseret, quod non obsecutus esses Pythagorico illi edicto, ne faba vesceremur. Sed, ut quæramus seria, nonne is beatus, post obitum certe, videtur jure appellandus, cui nihil quisquam, neque fraudis, neque malitiæ, neque vitii, recte objecerit?

Ecce! nobis exorti sunt complures, cum Medici nobiles, tum *Litteris Humanioribus*, non tincti solum, sed penitus imbuti.

Qualis enituit eximius ille, JOHANNES FREIND,[3] vir maxima eruditione, scientia varia, magno elatoque animo. Res nostras in Senatu, cum esset Senator, eloquentissime defendit. Mortem ejus, heu! nimis citam, lugemus; eo magis illud lætandum est, quod libros mirabiliter scriptos, nobis reliquerit.

Qualis, vir omni laude cumulatus, RICHARDUS MEAD,[4] qui, cum

[1] Vide "Researches into the Properties of Spring Water, with cautions against the use of Lead in the construction of Pumps, &c., by William Lambe, M.D., late Fellow of St. John's College, Cambridge, 1803."

[2] Vide "Reports on the Effects of a Peculiar Regimen," &c., eodem auctore.

[3] Johannes Freind, M.D.; natus A.D. 1675, obiit A.D. 1728.

[4] Richardus Mead, M.D.; natus A.D. 1673, obiit A.D. 1754.

antiqua omnia, omnia nova perspexisset, litterarum scientiæque et cultor et patronus, medendo exercitatissimus esset ac peritissimus.

Quales fuerunt GARTHUS,[1] ARBUTHNOTUS,[2] AKENSIDIUS,[3] instincti illi afflatu quodam poetico, neque ideo pejores Medici, ita, eidem Apollini, et Poesis et Medicina sunt cordi.

Qualis BAKERUS,[4] cui summus erat Latini sermonis nitor: in quo inerat etiam ardor mentis ad medendum; ita morbum Domnoniensium acerrime insecutus est, ita sagaciter pervestigavit, ita fortiter profligavit.

Quales HEBERDENI duo, tum pater,[5] quem morum gravitas, simul et decor, quem litteræ et scientia, maxime commendaverunt; tum filius,[6] par et similis, patria virtute præditus.

Qualis, si quis alius, HALFORDUS;[7] ecquis enim unquam fuit, vel Medicus clarior, vel litteris perpolitior, vel Collegii amantior, vel omnibus fere acceptior? Sit mihi fas in hoc dilecto nomine paulisper immorari. Erat, ut nostis, ad morbos dijudicandos sagax, ad sublevandos pollens; ingenii acumine, remediorum copia, pariter insignis. Nolite autem existimare, Auditores, eum ingenii vi aut acumine tantummodo esse confisum. Vobis ego hoc confirmare possum, vel diligentissime eum juvenilem ætatem egisse. Tuto, prius, et scienter, armis uti perdidicerat, quam celeriter et venuste. Studio igitur et labore extitit Medicus, plenus et perfectus, cui nihil neque a Natura denegatum, neque a Doctrina non delatum esse videretur.

[1] Samuel Garth, Eques Auratus, M.D.; natus A.D. 1691, obiit A.D. 1719.

[2] Johannes Arbuthnot, M.D.; obiit A.D. 1735.

[3] Marcus Akenside, M.D.; natus A.D. 1721, obiit A.D. 1770.

[4] Georgius Baker, Baronettus, M.D.; natus A.D. 1722, obiit A.D. 1809.

[5] Gulielmus Heberden, M.D.; natus A.D. 1710, obiit A.D. 1801.

[6] Gulielmus Heberden, Gulielmi F., M.D.; natus A.D. 1767, obiit A.D. 1845.

[7] Henricus Halford, Baronettus, M.D.; natus A.D. 1766, obiit A.D. 1844.

Mores hominum et vitæ consuetudinem apprime callebat; atque is erat qui, facillime citissimeque, mentes omnium sensusque degustaret. Ejus erat proprium maxime "scire uti foro;" et laus ea, non ultima

"Principibus placuisse viris."

Erga omnes erat benevolus, quippe, suapte natura, suavis et benignus; quippe, cum dolentibus optime mederi soleret, a dolore quovis animanti cuiquam incutiendo refugiebat. Itaque, vir erat plurimis amicitiis, inimicitiis perpaucis aut nullis: nam si forte, dissensio aliqua incidisset, quamprimum redire in gratiam gestiebat animus.

Ardebat, mihi credite, singulari quodam amore in hoc Collegium, cui, tamdiu, omnium concessu, præfuit. Quid enim? testabor has ipsas ædes? quas, maximis curis et laboribus suis, nobis adparavit; quas dedicavit oratione pura sic, ut Latine loqui pœne solus videretur; quas igitur ei, quem prope dixerim Conditorem nostrum quintum, perpetuo fore monumento prorsus existimo. Hic, hic inquam, si quærat quispiam Halfordi monumentum, circumspiciat.

Tales cum fuerint viri, qui, studiis liberalibus, redditi essent aptiores Medicinæ, per mihi mirum videtur, hisce temporibus, esse aliquos, qui *litterarum* et *scientiæ* studia Medicis indici, saltem ex auctoritate, nolint: immo, nonnullos, qui studia hæc Medicis obfutura, atque ad medendum impedimento fore contendant.[1]

[1] Vide Evidence before Select Committee of House of Commons on Medical Registration, &c., 1847 (1145):—

"Mr. Wakley.—Have you not often found that the men who were best acquainted with *literature* and *science* were the worst practitioners?

"Dr. F. Hawkins.—I would not say the worst, because I have found that the worst practitioners of all are those who, without general education, have a little practical experience, of which they are very proud, and fancy that their knowledge is much greater than it really is."

Quid? impedientne Medicos humanitatis studia? O! stultos Linacros et Caios! O! amentem Harveium! Quam nullius consilii fuerunt Sydenhamus, Boerhaavius, Hallerus, Meadus, Heberdeni, Halfordus! Qui, tanti cum fuerint, docti; credo, majores fuissent, indocti. O! obtrectatores, invidum genus! Nempe, cum viderint sibi doctrinam esse nullam, quam vellent, veluti vulpes in fabula (namque, in re anili, anilem fabulam mihi proferre liceat) quam vellent, veluti vulpes mutila, docti omnes doctrinam suam abscidant atque deponant!

Vel si non sint maligni, si non sint "animi sub vulpe latentes," at certe nesciunt quantum doctrina vim promoveat insitam; nesciunt quam verum sit Ciceronianum illud,

"Cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam conformatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere exsistere."[1]

Neque[2] magis sunt audiendi, qui Medicinæ satis consultum iri putant, si rationem illam conformationemque doctrinæ arbitrio cujusque Medici linquamus, eligendas necne, prout sua quemque ferat voluntas. Ah! nesciunt illi quam scopuloso difficilique loco versentur Medici, nisi rectum et certum teneant cursum.

Namque ars nostra, ut ait Verulamius.[3] . . . . "Conjecturalis cum sit, locum ampliorem dedit, non solum errori, verum etiam imposturæ. Siquidem omnes aliæ propemodum artes et scientiæ virtute

[1] Cic. pro Archia Poeta.

[2] Vide Evidence, &c. (540): —

"With reference to the importance of previous education for medical men of a certain class, will you be kind enough to explain, briefly, why it is that you think that, if this bill became law, medical men would not carry that education as far before they enter their profession, as lawyers, when they have the means; is it not the fact that a superior education tends to make a superior physician?"

[3] De Augmentis. l. iv. c. 2.

sua et functione, non successu aut opere, judicantur. Advocatum ipsa agendi et dicendi facultas, non exitus causæ, commendat: gubernator navis, clavi tenendi peritia, non expeditionis fortuna, se probat. At Medicus . . . . vix habet actiones aliquas proprias, quibus specimen artis et virtutis suæ liquido exhibeat; sed ab eventu præcipue honorem aut dedecus reportat, iniquissimo prorsus judicio. Quotus enim quisque novit, ægroto mortuo aut restituto, . . . . utrum sit res casus an consilii? Fit itaque sæpissime, ut impostor palmam, virtus censuram referat. Quin ea est hominum infirmitas et credulitas, ut sæpenumero agyrtam aut sagam docto Medico præponant."

Quæ cum ita sint, Auditores, bene instituatur oportet Medicus, ne recto et certo aberret cursu: ne famam quærat et opes, non artis prudentia, sed verbosis strophis, atque stupore vulgi. Quod hoc etiam facilius est, quia magna pars hominum amat mirifica, et vult decipi: neque facile sibi errorem eum, quo delectatur, extorqueri patitur. "Fingunt simul creduntque." Atque gratissimus est hic mentis error. Ex quo fit ut si mendaces sint isti Circulatores, næ, illi sunt mendaciores, qui mirentur istos,

" Quorum stultitia quæstus impudentiæ est."

Enimvero vulgus est quoddam, haudquaquam ex plebe, sed dives et fastu plenum; quod, cum semper speret aliquid læti et boni, corporibus vilioribus non concessum, sibi, ob divitias suas, concedi, propterea Circulatoribus istis credat, quia pluris venditant antidota sua falsa, quam quanti æstimatur ars vera et sine fuco.

Illud, ut mihi videtur, commune est omnium fere Circulatorum, quod unum et idem omnibus imperent. Vix possunt igitur non aliquando collineare. Id, siquando fit, pro miraculo est, atque in cœlum extollitur: dum plura, quæ male fiant, plerumque reticentur.

Quod contra fit in Medicis veris, quibus, quod recte faciunt, vix laudi datur: quod minus prospere, dedecori est et damno.

Esto, sane, ut prosint aliquando *balnea*, et *aqua frigida*, et *involucra madida:* quin etiam decantata illa, sanguinis missio, et aqua tepida hausta, interdum prodesse possunt; sed non omnibus, neque semper his est locus.

Interdum quoque fieri potest ut prosint linimenta acriora et exulcerantia: at iis, nullo discrimine servato, abuti, ferreum est: sicut, hercle, nimis aspere tractavit multos, nuper, famosus quidam: de corio alieno qui lusit miserabiliter.

Præ cæteris, autem, isti mihi videntur versuti, qui, "similia similibus curari," jactitant, idque, portionibus perexiguis, vel, si Diis placet, perquam minutissimis. Mirabile dictu est, at creditur. Interea isti secure nihil agunt, Naturæ committentes omnia; et diætæ tenui, in qua, mirum est, promissoribus istis, quam dicto audientes sint hiantes ægri. Quid, si majus quiddam aliquando tentent isti?[1] Quid, si remediis vel periculosissimis aliquando non dubitent uti? Sed clanculum. Nam cum similes, plerumque, inter se videantur istorum *pilulæ*, at visu tantum, non re, sunt similes. Sint igitur pilulæ illæ lenes et innocuæ: acres hæ, seu modo non mortiferæ: devorentur hæ: si quid male cesserit, examinentur illæ: inveneris quid? nil nisi pulverem, et saccharum lactis. Ergo, quodcunque fiat de ægrotis, isti impune abeunt.

Quin etiam vitia, sive infirmitates hominum, nonne aucupantur, et quæstui habent, alii alia, Circumforanei? De genere hoc, præstigiatores, quos vocant, *Mesmerici*, ni fallor, iis præcipue arrident, quos, utriusque sexus, Mater sæva Cupidinum aut cæcis urit ignibus,

[1] Vide "Medical Gazette," Aug. 13, 1847; and "Confessions of an Homœopathist," 1846.

aut palam exagitat. Sed ex quibus hoc subintelligi potest, ea, pudoris ergo, sunt reticenda.

Ab his, et talibus artificiis, segregandus est Medicus, et sepiendus sedulo. Quod vix præstari potest, nisi recta et bona institutione ita informetur, ut a dolis et fallaciis prorsus abhorreat.

Neque vero obliviscendum est, quod Medicinæ status ex utilitate sua, et gratia, non ex auctoritate, honoribusve publicis pendeat. Dignitatem igitur e litteris et philosophia sibi conciliet necesse est, ne gradu moveatur; ne dicam, in sordibus ne jaceat Medicina.

Respublica quidem medica jam conversiones quasdam et commutationes desiderare videtur. Ita nunc in motu temporum et rerum omnium progressione vivitur. Confitendum est enim, ultro et libenter, quod, pro ratione graduum, cum diversi ordines inter se conferantur, non tantum ii, qui sedes teneant priores, quantum imi (sit verbo venia) subsellii viri, in majus meliusque fuerint nuper provecti. Quibus, idcirco, altior nunc atque honoratior locus, jure meritoque, concedatur oportet.

Quomodocunque autem futurum sit ut res medicæ ordinentur, cavendum est et providendum, id quod non solum nostra referat, sed vehementur intersit omnium, ut ne deterreantur a studiis, sed incitentur potius, atque honore afficiantur ii, qui, in studiis optimis, operam, curam, cogitationem, longius et altius, figere velint, quam possint isti, qui medendi exercitatione usuque quotidiano, fere a juvenilibus annis, sint districtiores.

Quamobrem, pergite, ut facitis, Collegæ, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut disciplinis doctrinisque optimis liberaliter instituantur Medici: ut ingenui fiant: ut honestum fructuoso præponant: ut amore mutuo inter se contineantur: ut omnibus prodesse studeant: ut referant omnia ad Divinum illud Consilium, a quo cor-

pora humana, quæ nobis subjecta est materies, tum facta sunt, tum conservantur, tum, postquam morte fuerint dilapsa, recolligentur denuo.

His artibus innixa, Domus hæc nostra in perpetuum stabit: et, quod sperare ausim, crescet etiam, "occulto velut arbor ævo:" quod certo scio, manebit immota; velut arbor altissimis defixa radicibus; nulla labefactanda vi, nunquam demovenda loco.

Savill and Edwards, Printers, 4, Chandos-street, Covent-garden.

B